



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Patris Gasparis Druzbecki

Pawlowski, Daniel

Ingolstadii, 1732

VD18 90066324

Mortificationes Menstruæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45343

præsertim Christi passi post mortem ejus reper-
tis, sanguine itidem abundè conspersis, quas
tempore ejusmodi diverberationum vel suppo-
nebat, vel corpori concusso applicabat.

His omnibus addebat quotidie frequenter,
manuum in crucem extensiones, oscula terræ,
præsertim graduum communium, & similia vo-
luntarii Martyrii inventa.

Mortificationes Mensuræ.

In primis, qualibet die primâ Mensis faciebat
disciplinam pro successu novi Mensis, tam in
spiritu, quàm in Officiis: pro novo fervore, &
in satisfactionem pro pænis animarum Purga-
torii. *Deinde*, qualibet die quintâ Mensis, pro
successu Officii, gratiisque congruis in eo, &
pro directione Salutari. *Qualibet* quoque die
decimâ Mensis, pro Societate, & Admodum
Reverendo P.N. Generali, ejusque Assistenti-
bus, itemque pro Provincia, & R.P. Provinciali.
Item qualibet die decimâ quintâ Mensis, pro
necessitate domûs, in qua manebat, & pro pec-
catis propriis expiandis fructu satisfactorio.
Præterea qualibet die vigesimâ Mensis, pro ami-
cis, & pro pænitentibus suis præsertim de Socie-
tate. *Insuper* qualibet die vigesimâ quinta Men-
sis, pro Ecclesia, Imperio Christiano, Regno,
& Rege. *Denique* die ultima Mensis, pro gra-
tiis in mense transacto sibi collatis, pro impe-
tranda venia peccatorum, eodem Mense com-
missorum, & pro expiatione eorundem, viâ sa-
tisfactionis. Hæ omnes disciplinæ constabant
plurimis ictibus, quorum numerum aliàs adno-
taverat, sed postea expunxit, idque solum ad-
notatum reliquit; *Ut verò numeratio ictuum non*

*Disciplina
variis diebus
Mensis usur-
pare solita.*

careat

Industria numerationis ictuum disciplina.

careat suo fructu, neque interiorem affectum imperdiat, qui alioqui sub doloris corporalis tempus utiliter haberetur, intendam semel pro semper, vocibus numeratoriis significare simul actus Charitatis divinae, itemque actus omnis solitæ præscriptæque intentionis, item actus intinctionis ictuum in Sanguine, & meritis Christi, & denique actus progressionis, incrementique in millies, millies, milliesque majori proportione fervoris.

Mortificatio oculorum in Ianuario.

Ultra hæc omnia distributas habuit mortificationes, singulis Mensibus quodammodo appropriatas, non quòd eas aliis mensibus interdum non usurparet, sed quòd eas singulariter suis mensibus præ oculis haberet, & præcipuâ curâ exerceret. Et sic, *In Ianuario*, præcipue adhibebat mortificationem oculorum his modis.

1. Nullam personam de facie intuebatur, præfertim alicuius conditionis, aut formæ comptioris, nisi merus id casus, aut necessitas ferret.
2. In alieno cubiculo, si illud ingredi contingebat, nihil eorum quæ exposita erant, intuebatur, dispiciebatve.
3. Ab adspicientis novis speciosis, splendidis, curiosis, in omni materia, abstinebat; ut sunt ædificia, imagines, pompæ personarum &c. quantum sinebat urbanitas.
4. Obvios quosque domi, ac foris, item parietes Domûs, Templi, plateas, frontispicia, Turres, non circumspiciebat, nisi necessitate deposcente, vel ob Officia communia.
5. Ad mensuram sui, aciem oculorum fermè jaciebat, vix ultra, & non nisi ex necessitate, ac ratiõne: liberam circumvolutionem oculorum frenabat, in quibuscunque occurribus, concursibus, quod observabat etiam cum solus esset.

6. Posi-

6. Positivè autem mortificabat oculos, captando occasiones respiciendi res nauseam provocantes, uti sunt ulcera, fimeta, sordes, tabidi homines.

In Februario, mortificabat auditum, & aures, *Mortificatio auditus, in Februario.* his modis. 1. Vellicabat aures suas, singulis diebus aliquoties, mane ad renovandam mortificationis hujus memoriam: Vesperis in pœnam defectuum, illo die per aures commissorum, expiandæque, & expellendæ delectationis per aures habitæ, causâ. 2. Delectationem ex colloquiis, & ex cantu, etiam in Templis vitabat, aut si vitare non poterat, negligebat, nec ad concinnitatem eius attentebat, consultò internæ operationi intentus. 3. Consultò (sine nota tamen) vitabat personas, quarum conversatione, vel lepore, possent recreari. 4. Ab audiendis rumusculis abstinebat. 5. Secretè, & secreta loquentibus, se non adjungebat.

In Martio, qui incidit in Quadragesimam *Mortificatio totius corporis in Martio.* totum corpus, omniaque membra, & omnes sensus externos, constituerebat objectum, subjectumque quotidianæ afflictationis, ut innuetur in mortificationibus quadragesimalibus infra ponendis.

In Aprili. Mortificabat sensum tactûs, his *Mortificatio tactus, in Aprili.* modis. 1. Pungebat se, & fricabat pectine ferreo, aut aciculâ aliquas corporis partes aliquoties de die. 2. Reclinari in parietem, in fellam, inter standum, aut sedendum, vitabat. 3. Duritiem Sellæ, lecti, indusii, genuflexionis sectabatur. 4. Neminem omnino hominum, aut brutorum, & nihil mollium quarumvis rerum attingebat, ne quidem amicitia, aut ludicri causâ

causâ. 5. Non solum in alieno cubiculo, sed ne in proprio quidem, quidquam attingebat impertinens.

Mortificatio odoratus in Majo.

In Majo. Mortificabat odoratum sic; Nul- lum florem decerpebat, aut odorabatur. 2. In cubiculo nihil odoriferum servabat, non florem, non pomum, non aromata. 3. Consultò odorabatur habentia odorem gravem, & ingratum. 4. In certis occasionibus osculabatur, & odorabatur graveolentia loca, ad vilificationem sui: Mira tamen (ut hac occasione innuam) fuit eius mundities: Nullus unquam in eius cubiculo nidor etiam cum ægrotaret, immò nec tempore æstatis, quamvis clausæ manerent fenestras, sentiebatur.

Mortificatio gustus, in Junio.

In Junio. Mortificabat gustum his modis. 1. Condimenta ferculis non addebat, sed prout oblata fuerunt, sumebat. 2. Ordinem ferculorum non permutabat. 3. Non ferebat iudicium de qualitate ciborum, saporum, condimentorum, vinorum &c. 4. Inter comedendum, & bibendum inhibebat, & irritabat appetitum, impetumque ejus, mora temporis frangebatur. 5. Absynthio, vel alio tingeat linguam, vel labia ante cibum, citra notam. 6. Ante ferculi sumptionem attendebat, quam in partem ferebatur appetitus suo pondere, & hac abstinendo, vel saltem differendo, illum eludebat.

Mortificatio Capitis, in Julio.

In Julio. Mortificabat caput his modis. 1. Pruritus capitis sustinebat, nec facilis erat ad fricandum. 2. Capite, & fronte, terram mane, & vesperi feriebat ex humiliatione sui, & reverentia Majestatis Divinæ. 3. Pectine ferreo, vel acicula pungebat, & scalpebat caput. 4. Capillos

los capitis vellebat. 5. Dormiturus, in duro, & humili cervicali collocabat caput.

In Augusto. Mortificabat manus his modis. *Mortificatio manuum in Augusto.*

1. Ungues digitorum profunde abra-
debat, doloris causâ, nunc hujus, nunc illius digiti. 2. Manus verberatione, aciculâ, pectine ferreo, catenulâ, expansione affligebat. 3. Cohibebat manum à fricatione in pruritu. 4. Semper manus modestè compositas tenebat, & à faciendis inter loquendum gestibus, cohibebat.

In Septembri. Mortificabat pedes his modis. *Mortificatio pedum in Septembri.*

1. Stabat frequentius, & diutius usque ad dolorem. 2. Scrupulos pedibus supponebat ambulaturus, per aliquod tempus. 3. Igne plantas adurebat. 4. In quovis situ, pedibus commoditatem subtrahebat, incommoditatem verò obtrudebat. 5. Verberatione, pectine, aliisque modis pungebat pedes. 6. Insistebat interdum uni pedi, usque ad molestiam. 7. Sedebat suspenso altero, vel utroque pede. 8. Genuflexiones diu continuabat, & per aliquod decades repetebat, adjectis aliquibus actibus: e. g. adorationis æternæ Sapientiæ, & similibus.

In Octobri. Adhibebat mortificationem pectoris, ventris, & laterum, his modis. *Mortificatio pectoris & laterum in Octobri.*

1. Pectine ferreo sulcabat, & radebat dictas corporis partes. 2. In forma Crucis pronus orabat, ad dolorem usque, (discretum tamen) pectoris. 3. Flagello, vel virga affligebat. 4. Latera igne adurebat aliquantulum. 5. Tundebat frequenter pectus, cum compunctione animi.

In Novembri. Linguam mortificabat his modis. *Mortificatio lingue in Novembri.*

1. Premebat, & adnordebat eam dentibus

tibus. 2. Aciculâ pungebat, & pectine ferreo radebat. 3. Lingebat eâ terram, laterem, vel aliam quampiam rem asperam. 4. Illinebat, atque imbuebat eam amaris, vel acetosis succis, aloe &c. 5. Calidis, & ferventibus cibus eam adurebat.

*Mortificatio
vocis, in De-
cembri.*

In Decembri. Specialiter mortificabat vocem, his modis. 1. Rarò loquebatur, parce, non diu, non multis, & purè necessaria. 2. Submissè loquebatur, & elationem vocis, cachinnationes, & risûs vitabat. 3. Abstinebat à cantillatione, quæ esset cujuscunque delectationis, etiam honestæ, & piæ causâ. 4. Utebatur vocibus, juxta usum loquendi simplicem. 5. Fractiones vocis, & verborum, vitabat, non utendo diminutivis, superlativis, hyperbolicis loquendi modis.

Tempus porrò harum mortificationum, in memoriam revocandarum, habebat post meditationem matutinam.

Mortificationes Annua, & alia extraordinaria.

*Disciplina, & 1.
pectinatio
annua.*

In fine Anni faciebat disciplinam 365. ictuum, juxta numerum dierum Anni, raturam quoque, seu pectinationem 225. puncturarum, juxta numerum membrorum hominis, quæ notabiliora totidem esse censentur. Insuper aliquanto tempore cilicium tunc gestabat.

*Mortificatio
tempore Bac-
chanalium.*

2. Triduo Bacchanalium, qualibet nocte adhibebat flagellationem corporis quinque partitam, pro numero quinque vulnerum Christi, quamlibet continentem ictûs 50. quos intinctos

in